



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta  
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs  
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

**Meglinger, Joseph**

**[S.l.], Anno MDCLXXXII.**

14 Januarij. 19 Cal. Febr.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45295**

S. BERNARDUS, ser. 1. de divers.

Eleva-  
tio mē-  
tis ad  
superna

*Studeamus etiam furari aliquando nosmetipsos, & à pessimis occupationibus istis surripere vel ad horam; jaculari animos, vibrare corda in id, quod sursum est, & quod quanto naturalius est, tanto suavius est.*

(OS)(DO)(OS)(DO)(OS)(DO)(OS)

14 Januarij. 19 Cal. Febr.

Obijt  
anno  
1144.

**B.** AMADÆE: in quem mundus maximos, quos suis amatoribus propinat, favores effudit. Stemma, Romanorum Imperatori proximum. Opes generi pares: formæ decus excellens: bellica fortitudo, ad æmulum invidiam magnanima. Utcunque autem tibi applauserit fortuna, tanto clariùs vanissima illius ludibria deprehendebas, quo altiùs iisdem eras immersus. Transactis igitur aliquot in matrimonio annis, & jam prole auctus; primum te, dein sedecim è prima nobilitate commilitones, ad mundi contemptum, & capeffendum vitæ Religiosæ statum persuasisti: quos ad Cisterciense Bonæ Vallis monasterium deduxisti; iisdem juncturus filium, nisi infirmior

Plures  
secum  
ducit  
ad reli-  
gionem.

ætas

ætas eum tunc prohibuisset. Hic, ut  
 principia maximè fervere solent, tan-  
 ta contentione ad apicem monasticæ  
 perfectionis properabas; ut penè mor-  
 talem exuisse videreris; nisi te homi-  
 nem paulò liberalior in filium affectus *filius*  
 ostendisset. Nam cum is non pro voto *fit illi*  
 tuo, sed pro religiosa modestia, literis *petra*  
 profanis imbueretur: illum ex Bona *scādali*  
 Valle Cluniacum transtulisti; ignarus,  
 quòd illo itinere teipsum seduceres. Ibi  
 enim summo honore exceptus; atq; in  
 sede post Abbatem prima collocatus,  
 cepisti primò inter se conferre utriusq; *transit*  
 Instituti formam; laudare dein Cluni- *ad Clu-*  
 acensium; denique etiam, quia mitius, *niacen-*  
 Cistercio præferre: & ne ab animo dis- *ses:*  
 creparet vestis, dimissâ cucullâ candi-  
 dâ, nigram induere. Verùm amoto vi-  
 sùs interioris obice (filio ad aulam avi *mox do-*  
 Imperatoris dimisso) tibi redditus, im- *let, &*  
 mensum doluisti: quòd qui olim nobi- *redit.*  
 lissimæ cohortis dux ad religiosam mi-  
 litiam, nunc primus & solus desertor  
 audires. Itaq; facultate obtenta à Pon-  
 tio Abbate, Bonam Vallem repetisti.  
 Ubi extra portam multis diebus hæ-  
 rens, téque coram singulis prætereun- *pœnitē-*  
 tibus, inter lachrymas, & gemitus pro- *tiam*  
 sternens, verè pœnitentis animi ima- *agit.*  
 ginem repræsentasti: totidem menses  
 ibidem

*mira  
humili  
tas.*

*Quatu  
or ceno  
bia con  
struit.*

ibidem demorari paratus, quot Cluniaci transegeras. Sed sancti Abbatis humilitas tuam denique pervicit; dum ipsemet integro die in exercitij pœnalis consortio tecum perseverans, pudore, quod verbis non poterat, persuasit, ut communi fratrum cœtui te jungeres. Locum, non animum mutabas: nullum enim tam vile & abjectum fuit laboris genus, quod tibi non vendicares: importunis precibus accepta potestate; ut calceos inungendi negotium (imò & loca sordida repurgandi) uni tibi relinqueretur. Aucta interim incolis supra vires Bona Vallis, exonerare se emissâ coloniâ quærebat. Cui ut locum conquireres, ab Abbate destinatus, paucorum mensium intervallo, cœnobium fabricasti in Mansiade: pari felicitate tertium exinde usus in aliorum monasteriorum constructione: nec admisisses quietem; nisi ab invito senectus extorsisset. Quæ quidem non exiguum tibi solatium attulit; dum filium Amadæum ex monacho Clarævallis vidisti Abbatem Altæ Cumbæ, & Lausannæ Episcopum. Sed longius duraturam quietem indulsit denique beata mors; quam inter Ecclesiæ Sacramenta suaviter oppetisti. *Quamdiu spirat humanum cor, tam diu amat: sed tunc*

tunc pessimè, cum seipsum. Tu in hac scho-  
la exercitate pugil, doce me bene dignoscere  
cordis affectus, quò ferantur; illosque eli-  
minare; si ad aliud, quàm summum Bo-  
num respiciant.

B. HEILIGA, S. Ordinis Cisterci-  
ensis Reclusa: quæ solis fidelium elee-  
mosynis vitam sustentans, intrà limi-  
tes cellulæ tuæ de totius mundi con-  
temptu, vera paupertatis alumna tri-  
umphasti. Nomen tibi congenitum,  
quod humilitas tua, nesciri cupiens,  
suppressit; Germaniæ simplex devotio  
substituit. Ut, quamvis plurimæ reve-  
lationes cœlestes te DEO gratissimam  
esse non comprobassent; vel inde pate-  
at, te meritò ut sanctam coli; quam  
communis acclamatio populi jam vi-  
vam retulit inter sanctitatis titulo di-  
gnos. *Vivam & ego sanctè. Sanctum sit*  
*cor; non nisi sanctum Dei & Sanctorum*  
*ejus amorem admittens. Sit lingua sancta;*  
*ne Sancto Sanctorum se indignè in culci-*  
*tram substernat. Sint & manus sanctæ;*  
*memores, se contrectare illud mysterium,*  
*quo sanctius nec cœlum habet, nedum mor-*  
*tales & c.*

B. BERNARDE, innocentiae Sal-  
siniensium Virginum custos, & confci-  
entiarum director fidelissime: qui in  
pijs illis laboribus usq; ad senium san-  
ctè

Amor  
sanctus.

Vixit  
circa  
annum  
1202.

Vita  
sancta.

Floruit  
circa  
annum  
1484.

44 ANNI CISTERCIENSIS

Etè perseverans, meritis & annis plenus migrasti ad Dominum. *Doce me ita studere puritati conscientia, ut extrema omnia pati eligam; quàm peccare vel semel: exteriorem verò hominem ita ordinare; ut promptior semper inveniar ad perferendas, quàm inferendas molestias.*

Puritas  
consciē  
tia.

S. BERNARDUS, serm. 4. de divers.

Horror  
peccati

Beatus homo, & abundanti spiritus influens majestate; qui suavis & unctus portat omnes, & neminem onerat ipse: qui terribilius & horribilius ipsâ gehennâ judicat, in re vel levissima vultum Omnipotentis scienter offendere.

(—)(—)(—)(—)(—)(—)

15 Januarij. 18 Cal. Febr.

Vixit  
circa  
annum  
1147.

B. CUNANE, Abbas Marganensis cœnobij, simulque pauperum illius regionis communis parens: quos multiplicatâ sæpe divinitus annonâ liberaliter alebas. Imò eorundem gratiâ à DEO impetrasti; ut fruges agri integro mense ante consuetum tempus maturescerent: horribili vindicta cœlitus in eos sæviente; qui in bona à te pau-